

No. 178. 1395. 5. März.

Probst Johannes und der Convent bestimmen 1 Schock Gr. zu Kleinpössna, welches durch benannte Personen zugewendet worden ist, zu der S. Annenmesse, zur feierlichen Begehung des Bartholomäustages und zu Jahrgedächtnissen.

Nos Johannes dei gratia praepositus, Petrus prior totumque capitulum monasterii sancti Thomae apostoli in Lipezk ordinis sancti Augustini canonicorum regularium recognoscimus et ad universorum praesentium et futurorum notitiam deducimus per praesentes, matura et sufficienti deliberatione praehabita accedente etiam ad hoc consensu et voluntate omnium quorum consensus fuerat requirendus, quod de una sexagena latorum grossorum Fribergensis monetae de Christi fidelium elemosinis empta et comparata per honorabiles viros dominos Johannem praepositum, Nicolaum Advocati et Nicolaum Strancz a quodam Nicolao dicto Wochow civi Lipezensi de et super bonis in Minori Pesna, quae colunt pro nunc Guntherus Schuman et Michael inhabitatores eiusdem villae et ex tunc suorum sequaces, quae villa titulo proprietatis ad nos et ad nostrum monasterium perpetuis temporibus pertinere dinoscitur, taliter infra nostrum monasterium duximus ordinandum, ita quod domini de conventu tollere debent ex parte dicti domini praepositi viginti grossos de praemissa sexagena et ministrare et dare cantanti missam de sancta Anna in ipsius altari singulis diebus sabbatis de duodecim grossis duos denarios tunc dativos, reliquos vero octo grossos domini de conventu pro festo sancti Bartholomaei ad suam recipient consolationem, pro quibus antiphonam(?)¹⁾ Vox sancti Bartholomaei et sequentiam Coeli enarrant vel sequentiam Eya ꝛc. dicti domini singulis annis devote et solempniter decantabunt. Item viginti grossos, quos dominus Nicolaus Advocati comparavit, domini de conventu sequenti die Elizabeth ad suam recipient consolationem, ita quod eodem die domini vigiliis longas decantabunt et sequenti die missam pro omnibus fidelibus defunctis, specialiter pro salute animarum cuiusdam Conradi, Sophiae uxoris et Katherinae filiae suae solempniter celebrabunt, quorum etiam memoria in missa debet haberi et per celebrantem publice pronuntiari. Insuper duximus ordinandum de viginti grossis, quos dominus Nicolaus Strantz comparavit, ita quod ipse Nicolaus Strantz illos viginti grossos duntaxat temporibus vitae suae debet tollere ac levare omni strepitu quiescente, ipso vero sublato huius saeculi de medio iuxta dispositionem divinae voluntatis dictos viginti grossos domini perpetuis temporibus sua recipient pro refectione, ita quod domini vigiliis longas in crastina die Simonis et Judae solempniter decantabunt et sequenti die missam pro defunctis, specialiter pro salute animarum dicti Nicolai Strancz, Petri patris, Gerdrudis matris, Heinrici fratris, Elizabeth sororis ac omnium suorum progenitorum devote et humiliter celebrabunt, quorum etiam memoria in dicta missa fieri debet et per celebrantem seu per plebanum fideliter pronuntiari. Promittentes pro nobis nostrisque successoribus bona fide omnia et singula praemissa rata tenere atque grata nec verbo vel facto quidquam in contrarium attemptare. In cuius rei testimonium et robur sufficiens nostrae sigilla prae-

¹⁾ Or. *Alfa (alleluia).*